



VIR ADMODVM REVERENDE,
AMPLISSIME, DOCTISSIME,
FAVTOR ET AMICE AESTVMA TISSIME.

Non a ratione alienum est, illos, qui societate quadam inter se continentur, fortunae, quae membro illius vni aut secunda, aut aduersa est, aliquo modo fieri participes. Quid mirum, si & nostrum collegium, quod amplexu suo Te hactenus tenuit, in societatem laetitiae, qui ex voto perfusus es, itidem veniat? Sacro admotus es muneri, ad quod pia animi contentione adspirasti. Nec est, quod temere a Te hic factum pronunciemus, quum & in scholis & Academiis ad illa rite Te praeparaueris munia, quae nunc Tibi legitime vocato obire contingit. Declaranda igitur fuit nostra in Te voluntas, demonstrandus quoque collegii nostri ardor, pro Tua salute, prosperisque demandati maneris successibus vota facientis. Dimissus es e complexu nostro bonis omnibus, apprecati Tibi sumus felicissima acceptae spartae auspicia. Gratulamur & Tibi & nobis, quod summum Numen precibus nostris benigne annuerit, imploramus illud, ut & in posterum omnia Tibi ex voto euenire iubeat. Hoc vero nobis des, ut officii Tui in Praesidem nostrum grauissimum memor semper sis, collegique nostri sociis Horvveinio nempe, vocato nunc Seidensium Diacono, Putrichio, Rhostio, Schmidero, Schumachero, Artium Magistris, & mibi denique constanter fauens. Vale, dabam Dresdae, Ipsis Kal. Ian. cl^o lcc^o xxxv.



Qui

